

naventurae ex O. M. Card. Ep. Alban. dicti antea *Job. Fidantii*, et a Graecis *Eutyebii*, quin *Eustachii*, *Hetrusci*, in Concilio Lugdun. 1274. defuncti, praecipueque Asceseos cum Theologia scholastica conciliatoris *Scriptum in Librum II. Sententiar. Petri Lombardi*, quod init: *Solummodo hoc inueni, quod deus fecit hominem rectum* &c. et desinit: *secundum quod manifestat series duorum precedentium librorum, cui est omnis honor et gloria et laus et imperium per infinita secula seculorum amen.* Accedit *Quaestionum Tabula.* Ita etiam habes in Edit. *Opp. Lugdun.* 1668. T. IV. f.

DII.

U. 435 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 201. f. per duas columnas pereleganter descriptus, rubricis laetus, et Collegio Ducali quondam relictus ab *Jodoco Weiler de Hailprunna* T. D. et D. *Stephani* Canonico alterum est Exemplar *Bonaventurae in II. Sententiar.* integerrimum et Tabula *Quaestionum* stipatum. Codex hic uterque sub finem legit: *hominem rectum fecit, qui se infinitis questionibus miscuit peccatorum,* Editione citata rō peccatorum subprimente.

DIII.

U. 312 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 124. f. min. per duas columnas scriptus, et olim testamento *Jodoci Weiler de bail*

prunna saepius memorati relictus Collegio Ducali *Wienne* continet I. D. *Bonaventurae*, sive *Eutyebii*, *Eustachii*, alio nomine *Job. de Fidanza* O. M. Ep. Alban. et Card. inter Scholasticos *Doctoris Seraphici*, qui obiit in Concilio Lugd. a. 1274. *Commentarium in III. Librum Sententiarum Petri Lombardi.* Incipit is statim ab Art. 1. *Cum venit plenitudo temporis* &c. *Primo queritur, utrum diuina natura potuerit uniri cum humana. et uidetur quod non. Viri est pati* &c. Absunt igitur omnia illa, quae in Edit. *Opp. Lugd.* 1668. T. V. p. 4. praecedunt. Ita et in fine Codex in his verbis fistit: *triplicat sibi meritum et consolamen;* ubi Edita procurrunnt pluribus lineis: *Istud est complementum dubii literalis superpositi* &c. Clausula adjecta: *Expliciunt questiones principales tercij libri bonauenture. Deo gratias amen.*

II. fol. 83. absque Inscriptioe succedunt ab alia minuta manu *Capita XLI.* quibus diversae voces biblicae, et praecipue *Psalmorum*, distinguendo exponuntur, ut erat aeyum superius amans divisionum et subdivisionum numericarum. C. I. ita init: *Notandum quod est multiplicatio a deo et est multiplicatio ab homine* &c. Multiplicationem a Deo dividit in *multiplicationem mali et boni*, mali triplicem, videlicet *castigationis, comminationis et tribulationis* &c. Ita in C. II. agitur de *Stilla doctrine, gratie, culpe et pene*, in III. de *Lotione temporali et spirituali vel bona vel mala*, in IV. de *Signo ma-*

li vel boni, illo mali culpe, mali pene et mali temporis &c. omnes has Distinctiones e Textibus biblicis eruendo. In C. XLI. abrumptur, et ex adjecto Indice adparet, vix Operis dimidium hoc Codice contineri. Autor ejus non proditur.

DIV.

U. 449 Codex membraneus lat. Sec. XIV. ineuntis Folior. 177. f. per duas columnas minute perscriptus, emtus, ut Theca anterior testatum facit, a. 1432. et cum XVII. aliis donatus ad Librariam Collegij Ducalis a M. Andrea de Weytra est alterum supra dicti Commentarii Exemplar, et quidem plenius; orditur enim, ut in Editis: *Deus autem qui diues est in misericordia propter nimiam caritatem suam &c.* et ad calcem addit: *Explicit liber tercius fratris bonaventure super sentencijs. Omnis laus in fine canitur.*

II. fol. 118. sequitur ἀνεργεφως Ejusdem Commentarius in Librum IV. Sententiarum. Initium est: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis &c.* Ut Edit. Lugdun. suprac. T. V. Siftit tamen in Distinctione XXII. unde paullo recentiore calamo adjectum: *Sequitur distinctio 23^a que incipit Preter premissa est etiam aliud sacramentum &c.*

DV.

U. 448 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 421. f. per duas colum-

nas nitide exaratus et rubro distinctus aliud est Exemplar Ejusdem in Librum IV. Sententiarum absque omni inscriptione incipiens: *Unguentarius faciet &c.* ut superius, sed integrum. Ad calcem legas: *Explicit quartus boneventure. Deo gratias. Anno domini &c. (14)42. Jar. p.*

Adscriptus est Sermo in illud Marc. ult. *Ecce locus ubi posuerunt eum, qui incipit: Verbum est angeli admonentis sanctas mulieres que uenerunt ad sepulcrum &c.* et urget, ut earum exemplo dominum ploremus ungamus et cum eo sepeliamur, verum posteriore parte situ corruptus est.

DVI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 414 XIV. Folior. 160. f. per duas columnas caractere difficili, ut sunt fere omnes Libri scholastici hujus aevi, ob nimia vocum compendia perscriptus, et rubricis distinctus hanc Notam praefert: *Hec sunt questiones super tercium librum sententiarum bonaventure empte a Domino Vlrico de hospitali ad librariam Collegij Ducalis Wyenne pro 12 solidis et 20 denarijs solutis de pecunia Erhardi Bedelli cuius anima requiescat in pace Christi.* Expositio porro Doctoris Seraphici sic init: *Deus autem qui diues est in misericordia propter nimiam caritatem suam &c.* ut Edit. Lugd. 1668. Opp. T. V. p. 1. Sed abest a Codice post Prooemium Textus Lombardi; a verbis enim: *et imitatores cre-*